


05

A

356





COLLEGGII

LOGICI

DISPUTATIO X.

De

SYLLOGISMIS EXPONIBILIBUS,

Quam

D. T. O. M. A.

In alma Leucorea

PRAESIDE

Viro Clarissimo atq; Excellentissimo

DN. M. JOHANNES SCHARFIO

Logicæ & Metaphysicæ Professore Publico, Præceptore,
Fautore ac Promotore suo omni observantiæ gene-
reætatem prosequendo,

Publicè

ventilandam proponit

ADAMUS SCREIER WONSIDE-
LIUS Montano-Francus,

Ad diem 19. Septembr. horis pomeridianis in Auditorio minore.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN.

M. DC. XXIX.

GOLLEGE II

LOGICI

DISPUTATIO

STYLOGICIS PROPOSITIONIBUS

D. T. O. M. A.

D. M. JOHANNES SCHARTIO

Logice & Mathematicae Professor Publicus, Rectoris

AD ALIUM PROPOSITUM WONSIDE

in

ALIA

WONSIDE

WONSIDE

WONSIDE



COLLEGII LOGICI

DISPUTATIO X.

De

SYLLOGISMIS EXPONIBILIBUS.

THESIS I.



Syllogismus Exponibilis est, qui constat ex Propositionibus exponibilibus.

II. Estque Exclusivus, vel Exceptivus, vel Reduplicativus, vel Comparativus.

III. Exclusivus est, qui constat ex propositionibus exclusivis legitime dispositis. v. g.

Quicumque solus satisfecit pro peccatis mundi, is solus est Mediator noster:

*Syllogismus
Exclusivus.*

Atqui solus Christus seipsum facit pro peccatis mundi:

Ergo solus Christus est Mediator noster.

IV. Necessum verò est, ut & hic observentur regulæ Syllogisticæ supra traditæ, ut scilicet propositiones rectè disponantur, termini eodem modo repetantur, & legitime concludatur: ne commisceantur exclusivæ cum absolutis, ut jam paulò post fusiùs monetur.

V. Exceptivus est, qui constat ex terminis & propositionibus exceptivis identicè collocatis. v. g.

Quicumque neminem agnoscunt superiorem præter Imperatorem Romanum, illi Turcæ non sunt subjecti: *Exceptivus*

Atqui Principes Germaniæ neminem agnoscunt superiorem præter Imperatorem Romanum:

E. Principes Germaniæ Turcæ non sunt subjecti,

R 2

VI. R.

Syllogismus VI. *Reduplicativus est, qui constat ex propositionibus reduplicativis, ut.*
Quicquid est malum, id, quò tale, non est à Deo :
Reduplica- Atqui cor hominis est malum :
tivus. E. Cor hominis, quò malum non est à Deo.

Item,

Quæcunque disciplina considerat corpus naturale, quò naturale,
illa est scientia :

Atqui Physica considerat corpus naturale, quatenus naturale est :

E. Physica est scientia.

Comparati-
tivus.

VII *Comparativus est, qui ex comparativis propositionibus concludit v.g.*

Quæcunque disciplina tractat res digniores, illa est melior :

Atqui Theologia tractat res digniores :

E. Theologia est melior :

VIII. Sed hic notetur ; Alium terminum esse Absolutum, qui
est simpliciter de inesse, ut *est homo, est adorandus* : Et vicissim esse ali-
um Restrictivum, aliquà determinatione affectum, v.g. *tantum est*
homo, solum est adorandus.

IX. Similiter distinguuntur & hi termini, *justificare, & sine ope-*
ribus justicare : *iterum, sentit, & quatenus animal est, sentit* : item, *est*
passus sive vulneratus, & secundum animam est passus sive vulne-
ratus.

X, Qui Termini (Restrictivi scilicet & Absoluti) ut omnino
distincti sunt, ita etiam in Syllogismis nequaquam confundi debent.
Ibi enim non permittendum est, ut terminus jam absolutè ponatur,
jam cum restrictione aut sub certa determinatione limitetur. Ex
illa enim confusione & permutatione terminorum statim fiunt 4.
termini, & sic peccabitur in formam Syllogisticam, v.g. fit hic Syl-
logismus.

Omnis homo habet caput :

Solum animal rationale est homo :

E. Solum animal rationale habet caput.

Qui Syllogismus vitiosus est, quia in minore propositione fit re-
strictio sive determinatio medii termini, per particulam exclusi-
vam,

vam, *solūm*; Cum tamen iste terminus medius in majorē non erat determinatus, sed absolutus.

XI. Ut res sit planior, particulam exclusivam suo justo loco ponas, nempe ante copulam, hoc modo:

Omnis *homo* habet caput:

Animal rationale *tantūm est homo*:

E. Animal rationale tantūm habet caput.

Jam vides terminos mutari in dato Syllogismo, ita ut primūm in majore ponatur hic absolutus, *Homo*; deinde verò in minore ponatur hic restrictivus & exclusivus *tantūm est homo*. Adde quod etiam hi termini permutentur, *habet caput* in majore propositione, & *tantūm habet caput*, in conclusione.

XII. Sic ergo ex confusione illorum terminorum passim multiplicantur termini, adeoque peccatur contra formam Syllogisticam.

XIII. Deinde notetur propositiones Exponibiles longè esse diversas ab Absolutis, adeoque nec illas propositiones in Syllogismis esse confundendas. Longè enim aliud est, quando aliquid cum determinatione ponitur, ut è dictis satis superque constat. Sic distinguuntur hæ propositiones, Homo videtur & Homo secundum animam videtur. Item, Christus est Deus, & Christus secundum humanam naturam est Deus. Hæ enim posteriores sunt falsæ, ubi tamen priores erant veræ.

XIV. Hinc fit vitium in forma Syllogistica, quando ejusmodi propositiones (Absolutæ scilicet & Restrictivæ) malè permutantur. v. g.

Homo est mortalis:

Studiosus *secundūm animam est homo*:

E. Studiosus secundūm animam est mortalis.

Quæ conclusio ut falsa est, ita non sequitur ex præmissis, cum confundantur propositiones. Major enim est absoluta, sed minor ponitur sub certa restrictione & limitatione. Quæ confusio in Syllogismis tolleranda non est.

XV. Tertiò notandum est, quòd Propositio Restrictiva, hoc est per determinationem aliquam affecta, possit habere diversum

sensum & diversimodè exponi. Non enim tantùm resolvi de-
 bent in duas simplices Enunciationes, sed etiam ipsa determinatio
 diversimodè accepta parit duplicem sensum, v.g. Hæc propositio:
Studiosus secundùm animam est homo, implicite dicit hæc duo: 1. Stu-
 diosum esse hominem, 2. Studiosum, quâ animâ præditum, esse
 hominem. Præterea & hunc habet duplicem sensum: Studiosus,
 qui animâ constat, est homo; vel Studiosus est homo propter ani-
 mam suam: Scilicet ut diversimodè determinatio vel ad subje-
 ctum refertur, vel ad prædicatum; ita etiam alio atque alio sensu
 est exponenda.

XVI. Sit etiam hoc exemplum; *Christus secundùm humanitatem
 non est Deus*. Quæ propositio vera est, si restrictio secundum Hu-
 manitatem, feratur super Prædicatum hoc sensu: Christus non est
 Deus per humanitatem suam. Quod si verò quis velit illam restri-
 ctionem, *secundùm Humanitatem*, referre ad subjectum hoc sensu:
 Christus secundum humanitatem existens, non est Deus; tunc certè
 esset falsa propositio. Christus enim, qui secundum humanita-
 tem est Homo, omnino est Deus, sed per suam Deitatem.

REGULÆ.

I. *Qualis terminus est in unâ propositione, talis quoq; sit in alterâ neces-
 sum est.* Aliàs enim fiet termini mutatio. Ergo si terminus semel
 fuerit determinatus, etiam sub eadem determinatione repeti debet,
 ubi secundâ vice ponitur. Quod si verò non fuerit determinatus,
 sed absolutè positus in Antecedente, nec determinari debet in Con-
 sequente. Peccat ergo hic Syllogismus,

Filius Mariae est Filius Dei æternus:

*Christus, secundùm carnem in tempore assumptam, est Filius
 Mariae:*

*E. Christus, secundùm carnem in tempore assumptam, est
 Filius Dei æternus.*

Quæ conclusio omninò falsa est, sed peccatur in dato Syllogismo
 contra Regulam, quia Terminus, in minore propositione determi-
 natur & restringitur, cum tamen in Majore nulla facta erat restri-
 ctio.

Etio, & sic Termini mutantur. Observes autem quod hæc p[ro]p[ro]s-
itio, Christus, secundum carnem in tempore assumptam, est Filius
Mariæ, duplici sensu exponi possit. 1. Christus qui secundum car-
nem in tempore assumptam existit, est filius Mariæ; & sic determi-
natio illa refertur ad Subjectum. 2. Magis propriè habet hunc sen-
sum, Christus est Filius Mariæ per carnem in tempore assumptam;
& sic determinatio illa refertur ad prædicatum, estque restrictio
medii Termini. Quocunq[ue] autem modo sumatur illa determi-
natio sive ex parte Subjecti sive ex parte Prædicati, semper tamen
viciosum efficit Syllogismum, ob determinationem factam vel in
minore Termino vel in medio.

2. *Determinatio Terminorum rectè collocanda est, ne impertinenter
fiat aut subdolè divellatur.* H. e. Videndum est, quomodo determina-
tio Terminorum sit facta, an in medio Termino, an verò in Mino-
re, an saltem in Majore: Quod si Medius fuerit determinatus semel
in Antecedente, etiam determinari debet in Consequente. Simili-
ter si determinatio minoris vel majoris Termini facta fuerit in præ-
missis, etiam in conclusione eodem modo fiat determinatio neces-
sum est, ne scilicet id, quod semel erat appositum Termino, post-
modum ab eo divellatur, neque addatur aliquid Termino, quod
prius non erat additum.

XVII. Aurea hæc regulà est, ex quâ vel unicâ rectè intellectâ
omnes difficultates & sophismata formalia quæque, quàm facilimè
diluuntur, modò præcisè urgeamus *Identitatem terminorum, &
eundem modum determinationis in Termino retineamus; v. g. sit hoc so-
phisma Pontificiorum.*

Fides, sine operibus justificat:

Fides sine operibus, est res mortua.

E. Quædam res mortua justificat.

Ibi fit vitium in formâ ob determinationem Terminorum im-
pertinenter factam. Nam in prima propositione determinatio *sine
operibus*, pertinet ad Prædicatum, hoc sensu. *Fides, justificat sine ope-
ribus.* Sed in propositione altera impertinenter refertur illa deter-
minatio, *sine operibus*, ad Subjectum & ad medium Terminus, hoc
modo;

modo; *Fides sine operibus existens, est res mortua.* Atque sic determinatio malè additur Termino medio in minore Propositione, cum illa determinatio non erat in Antecedente, hoc est, non erat addita medio Termino in primâ propositione posito, & sic mutatus est Terminus.

XVIII. Quod si verò quis propositionem primam explicare velit ita. *Fides sine operibus, justificat;* tunc vitium erit in Materia, & propositio illa est falsa: Hoc enim non dicimus, quod fides sine operibus existens vel vacua bonis operibus, justificet. Licet ergò concedamus Minorem, quod fides sine operibus existens sit res mortua: non tamen exinde sequitur, quod quædam res mortua justificet. Cum prima Propositio sic intellecta sit omnino falsa. Neque mortua fides est vera fides, neque justificat.

XIX. Sit & hoc exemplum.

Homo, quatenus constat animâ, non vulneratur:

Homo, quatenus constat anima, sentit:

E. Quoddam sentiens non vulneratur, & per Consequens nec animal vulneratur, quod sentit.

Ibi determinatio malè divellitur à Conclusionem, cum tamen Terminus major, imò & Minor, erat determinatus in præmissis: Sic enim debebat fieri conclusio. E. *Quoddam sentiens quatenus constat animâ, non vulneratur quatenus constat animâ.*

XX. Quod ut intelligas, ex superioribus sciendum est, quod Terminus Reduplicativus, *quatenus constat anima,* feratur super prædicatum, hoc modo: *Homo non vulneratur quoad animam suam.* Item *Homo sentit quoad animam vel per animam suam.* Sic ergo in præmissis determinati sunt Terminus minor & major. Ergo, illa determinatio non subdolè divellenda est ab iisdem illis terminis in Conclusionem. Aliàs enim mutilatè reperuntur & non integrè. Quod si verò quis Propositionem priorem velit aliter intelligere, & ita explicare, ut Determinationem vel Reduplicationem Termini factam, referat ad Subjectum & ad Terminus Medium, tunc ut alius sen-

116

sus fiet illarum propositionum, ita prima propositio planè fiet falsa. Hic enim esset sensus: *Homo animâ constans non vulneratur*, quod certè falsum est.

XXI. Ubiq; ergò cautè animadvertendum est, quomodo Determinatio fiat, & ut illa utrinque rectè collocetur, ne malè addatur, nec malè divellatur & omittatur.



Corollarium.

Quid sentiendum sit de hoc Syllogismo.

*Quicquid non est bonum, est malum
Hominem esse solum, non est bonum.
E. Hominem esse solum est malum.*



Ad

Ornatissimum ac Literatissimum

DN. RESPONDENTEM.

Qui didicit purè **LOGICES** penetrabilia nosse,
Puriter in reliquis poterit versari ille:
Ejus enim quàm sit vis magna, per omnia
(constat

S

Membra

Membra Facultatum, quàm magnum præbeat u-
(sum;

Noscere namq; docet, verum quid, quidve sophis-
(ma.

Ergò, SCHREIERE, facis benè, quod mentem ex-
(colis illà:

Hac etenim instructus reliquis superare labores
In studiis poteris facili conamine cunctos.

Perge, velut pergis, ω Φ ίαν perdiscere, gratus
Sic eris & patriæ, & surgent tibi digna β εβεία.

Ευνοίας ἔνεκα l. m^q. scrib.

M. Johannes Solgerus A. U.
S.S. Theol. Stud.



Adeundem.

Dn. RESPONDENTEM amicum
& Sympatriotam suum dilectum.

Laudatur meritò doctum pervolvere libros,
Et promptè Musis invigilare domi;
Sed prodire foràs, Phæbo pugnare Lycéo,
Hoc, credas, summa semina laudis habet.

Sic

*Sic SCHREIERE tibi non laus tenuissima danda est,
Qui doctus doctis bella duella subis:
Perge bonis a vibus, fructusq; capesse receptos
Sis lucro patria, quod tibi corde precor.*

deproperabat
Wolffg. Fridrici Wonsidliã-
Montano-Fr.

F I N I S.



1814



05 A 356


ULB Halle 3
004 210 166


56

WDA







COLLEGII
LOGICI
DISPUTATIO X.

De
SYLLOGISMIS EXPONIBILIBUS,

Quam
D. T. O. M. A.

In alma Leucorea

PRAESIDE

Viro Clarissimo atq; Excellentissimo

DN. M. JOHANNES SCHARFIO
Logicæ & Metaphysicæ Professore Publico, Præceptore,
Fautore ac Promotore suo omni observantiæ gene-
reatatè prosequendo,

Publicè

ventilandam proponit

ADAMUS SCREIER WONSIDE-
LIUS Montano-Francus,

Ad diem 19. Septembr. horis pomeridianis in Auditorio minore.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN.

M. DC. XXIX.